



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 2. Quandonam licet Reo appellare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



nisi crimen exceptum sit & in publicam perniciem tendens, ut hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, veneficium, falsatio monetæ, vel committendum sit in privatæ personæ perniciem. Tunc enim tenetur complices patefacere, saltem quos non scit esse emendatos, alioqui non absolvendus; quia hoc saltem charitas exigit.

*Resp. IV.* Reus qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat mortaliter; quia est directè & positivè causa moralis injusta suæ mortis; cum falsâ sui infamatione directè moveat judicem ad injustam sui occisionem; estque tam sui homicida, quàm qui alteri falso testimonio mortem infert, est illius homicida: cum autem homo non sit Dominus suæ vitæ ac membrorum, ei nunquam licet dare injustè causam destructionis ejus. Quare non potest absolvi nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi.

*Q. 2. Quando nam licet Reo appellare?*

*Resp.* Licet, si prudenter judicet sententiam esse iniquam: vel quia est innocens, vel quia si sit nocens, damnatus est ad pœnam justo graviolem, aut non est servatus ordo iuris; nam cuique licet iustum præsidium contra iniuriam sibi quærere c. 3. *de Appellat.* At ei non licet, si putet contrarium: *cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed*



*sed ad praesidium innocentiae institutum c. 61. de Apellat. ex Conc. Later. alioqui faceret iniuriam tum Judici, cui calumniam imponit, & cuius officium impedit, tum adversario suo, cuius iustitiam quantum potest perturbat ac impedit. Iniqua est omnis appellatio, ad quam iustitiae inopia non coëgit. ait S. Bern. l. 3. de Confid. c. 2. unde iniuste appellans tenetur omni iure ad impensas litis, & alia damna adversario inde secuta.*

*Q. 3. Quid licitum est Reo circa poenam & fugam?*

*Resp. I. Reus iuste damnatus ad mortem, quam vitare fugiendo nequit, ex communi tenetur ad locum destinatum proficisci, colulum parare, manus apponere, & facere ea, quae à Ministro Justitiae commodè fieri nequeunt. quia haec actiones sunt necessariae saltem moraliter ad executionem poenae iustae, cum sine illis non possit saltem convenienter & commodè poena iusta executioni mandari: unde censentur iuste praecipere à Iudice per sententiam mortis, ut convenienter exerceatur iustitia; & aliunde sunt de se indifferentes, nec ex natura sua connexae sunt cum morte. Non licet tamen Reo exequi poenam mortis aut mutilationis, v.g. venenum haurire, pectus gladio transfigere, suspendio se praefocare, se projicere à scala: quia se ipsum directe occideret, quod nemini licet, sicuti nec se mutilare;*